

orificium deorsum, altera extremitas clausa sursum spectet, tum nihil prorsus mercurii in *Baroscopio* assurget, ne quidem in illa *Baroscopii* parte, quæ stagnanti mercurio est submersa, at summitate tubi perforatâ, vel alio modo apertâ, illicò mercurius irrumperet, itâ, ut etiam stagnante mercurio vel aquâ, cui est immersus, aliquot digitos sit altior.

§. XIV. Ratio est, quod aër *Baroscopio* inclusus, quum exitus ipsi per superiorem eius soliditatem non pateat, aquæ resistat, hinc, cum liber ei egressus foramine factò, datur, mercurius ascendit. Cur verò in *Baroscopio*, seu tubo isto aliquot digitos altius attollitur ipsâ superficie mercurii? cur magis in sublime evehitur intra tubum angustiolem, quàm intra laxiorem? Ad hoc demonstrandum inservit nobis distinctio *Jacobi Bernoulli*, quam habet in *cogitationibus suis de gravitate Ætheris* (vid. *Acta Erudit. Lips. Mens. Martio Anni 1683. p. m. 108.*) ubi distinguit inter *motum aëris generalem*, quo omnes hujus materiæ particulae in eandem plagam circa commune aliquod centrum, Terræ videlicet rapiantur; & *peculiarem*, quo unaquæque particula materiæ, in omnes plagas infinitis modis moveatur, *illum, motum gravitatis*, hunc *elaterij non incommode* appellari inquit. Non priori motu, generali nimirum, seu motu gravitatis aeris, mercurius seu aqua in *Baroscopio*, vel tubo, aliquot digitos supra ambientis aquæ superficiem elevatur, sed motu peculiari, & elaterij; liqvores enim sibi æquiperant tantum secundum altitudinem in librâ naturali, atque adeò non majori vi rectâ deorsum premitur aqua vel mercurius stagnans extra *Baroscopium*, quam mercurius intra tubum, licet cylindrus aereus non sit æque crassus, verum motus elaterij aeris major est in stagnante mercurio extra tubum, quàm in eo, quia ob angustam & tenuem tubi cavitatem non obliquè, sed tantum deorsum premi potest. Habemus consen-

tiam